



**Oratio habita ab oratore illustrissimi D. Alberti ducis Bavariae  
in generali congregazione Sacri Concilii Tridentini, sub S.N.D.  
Pio PP. III. die XXVII. Junii. 1562**

<https://hdl.handle.net/1874/9502>

ORATIO *Augustini quamque*  
**HABITA A B**  
 ORATORE ILLVSTRISSI-  
 MI D. ALBERTI DVCIS BAVA-  
 RIAE IN GENERALI CONGREGATIO-  
 ne Sacri Concilij Tridentini, sub  
 S. D. N. PIO P. III. die XXVII.  
 Iunij. M. D. LXII.

VNA CVM RESPONSIONE SAN-  
*&e Synodi.*

HIS ACCESSERVNT PETITIONES  
 Oratorum Cæf. Maiest. ad idem Con-  
 cilium Tridentinum.

A N N O

1563.

ORATIO  
HABITA A B  
ORATORE ILLVSTRISSI-  
MI D. ALBERTI DVCIS BAVA-  
RIÆ IN GENERALI CONGREGATIONE SA-  
cri Concilij Tridentini. sub S. D. N. Pio PP. III. die  
XXVII. Junij. M. D. LXII.



VANDO quidem S. D. N. aliquo-  
ties per quā paternè, atq; vos ipsi Re-  
uerēdissimi & Illustrissimi Sacri Cō-  
cilij Tridentini Præsides etiam amicè,  
Vt ad celebrationem huius tam San-  
cti tamq; necessarij instituti Legatos mitteret Illu-  
striss. & Serenissimum Principem, Dominum Al-  
bertum Comitem Palatinum Rheni, Superioris  
Inferiorisq; Bauariæ Ducem &c. exhortati estis,  
sui muneric esse putauit Illustrissima sua celsitu-  
do, ne cùm Princeps sit Catholicus, nihilq; magis  
elaboret, quām salua vt sit Catholica religio no-  
stra, tam necessario tāq; Sacro sancto operi deesse  
videretur, decreuit sanè Legatum suum ad Conci-  
lij negocium opportunis mādatis instructum ab-  
legare. Quod quidem iam ipso facto præstans, ab-  
legauit & misit præsentem me Illustriss. suæ Celsi-  
tudinis seruitorem, cum plenissimo mandato, vt  
suæ Illustriss. Celsitudinis nomine paucula quædā  
Sacro Cōcilio proponam, & postea etiā vbi usus &

opportunitas erit, tractarem, agerem, atq; efficere curarem, quæ & è honore Sacri Cōcilij & Illustrisimæ suæ Celsitudinis officio esse videantur.

**P**RINCIPIO igitur tam ipsis Reuerendissimis & Illustrissimis Concilijs Præsidibus, quām reliquis Reuerendiss. Patribus plurimam & deuotissimam affero Illustrissimæ suæ celsitudinis nomine salutem, amicitiam ac benevolentiam. Et profectò summoperè lætatur Illustriss. sua celsitudo, quod Sacrosancti huius Tridentini Concilij non modò auspicato initium factum sit, sed etiam fœliciter progredi actiones eius intelligentur, & quidem eo modo, ut omnes p̄ij meritò queāt fœlicissimum euentum sperare. Quanquam verò, siquidem est secularis, atq; idcirco Illustrissimam suam celsitudinem minimè decet in Cōcilio aliquid vel decernere vel præscribere in rebus spiritualibus. Sed tamen secularium Principum cùm intersit vel imprimis, ne quid authoritatis quo minus feruēs Cōcilio cursus procedat fœliciter, deesse videatur, eam tamen ob causam me potissimè misit Tridentum, quippe vt Concilium Illustrissimæ suæ celsitudinis nomine cohonestem, concelebrem, ac si fieri possit, adiuuem etiam pro virili mea: hac tamen habita ratione vt meminerem Illustriss. suam celsitudinem esse secularem non spiritualem Principem, cuius sit non dare sed accipere leges ab Eccl-

clesia. Hæc etenim quoniam pia mater familias est,  
atq; legitima diuinarum rerum dispensatrix, so-  
lensq; & salutaris medica, cui nullū medendi mo-  
dum præscribere debemus, sed morbum ostende-  
re, & efficacem sperare medicinam.

**C**OM MVNES quidem Germaniæ morbos pro-  
culdubio Reuerendiss. Sacri Cōcilij Proceri-  
bus notos esse, nec dubitādum existimat Illustriss.  
sua celsitudo, quin etiam audierint quo in statu  
Bauariæ nunc Catholica religio versetur. Quan-  
doquidem enim aliæ prouinciæ, quæ Bauariâ cir-  
cum quaq; propemodum cingunt, diuersis sunt  
varijsq; infecte erroribus, eosq; non fouent modò  
apud se, sed propugnāt etiam pertinaciter, propa-  
gantq; quoad fieri potest, summo studio, facilè ex-  
istimari potest, quanto partim dolo, partim mani-  
festavi in Bauariam irruere conentur sectæ, qua-  
rum aliæ quidem aliqua diligentia authoritateq;  
Illustriss. Principis mei hactenus represso sunt, aliæ  
nescimus quo infelici Bauariæ fato, iam in ipsa  
viscera Bauariæ penetrarunt, easq; nunc (quod ve-  
hementer dolendum) radices egerunt, vt voto  
magis quam facto extirpari posse censeantur. Su-  
perioribus annis habita est totius prouinciæ tam  
in Clero, quam in populo de fide Catholica & de  
honestate morum visitatio: In fide autem & in ipsa  
religione nostra, quot repertæ sint & quantæ hæ-

refes, nimis longè foret si omnes deberent recen-  
seri. Crassiores igitur generatim perstringi pos-  
sunt, cùm vniuersæ explicari non queant.

**R**EPERTI sunt enim inter parochos ceterosq;  
ministros Ecclesiarum, quorū alijs sunt Zuin-  
giani, alijs Lutherani, alijs Flacciani, alijs Anabapti-  
stæ, alijs qui Manichæorum dogmata renouant,  
alijs qui Eunomianorum, alijs qui Iouinianorum,  
alijs qui aliorum deliramenta & errores sectantur  
atq; propagant. Hæc Catholicæ fidei nostræ ziza-  
nia, quoniam Prælati pullulantia passim in ipsis  
herbis non extinxerunt, & iam mox adulta extir-  
pare non potuerunt, eò nunc res deuenit, vt si  
quis nunc hæc zizania eradicare conetur, metuend-  
um sit ne bonum triticum conculceret, zizania ta-  
men non euellat penitus. Nam huius pestis con-  
tagio non modo in fece infimæ plebis, sed etiam  
in penetralibus statuum ac Reipub. maximè au-  
tem nobiliū ac ciuium versatur, qui ita animis er-  
rore corruptis, quotidie magis magisq; vicino-  
rum sectariorum commertio obfirmantur, vt fo-  
ris cum aduersarijs non occultò sentiant, domi ve-  
rò nihil non sedulò faciant, quod inuehendis er-  
roribus percommodum sit, & Sanctissimis prisco-  
rum constitutionibus pernitiosum. Ita vt qua-  
cunque omnino ratione id agant vnum, ne locus  
amplius relinquatur sanæ & Catholicæ doctrinæ  
tutus

tutus aut integer. Vnde viri prudentes quam difficilis sit & quam periculosa in istis Ducatibus gubernatio, facilè iudicare possunt.

**H**vic autem malo magnam ansam fuisse præbitam omnes homines sani fatentur, cum à Clero, tum à populo: quando hic nullum possit inter doctrinam & doctorem discriminem cernere, ille id sibi semper licere quod liberet arbitraretur. Tametsi autem degenerantis populi malitia tanta est, ut per se huic subsequutæ hæreticæ contagioni abundè materiam dederit, tamen dubium haud videtur, quin, cum Clerus sal terræ esse debuerit, infatuatus sit, nec ad eam rem ad quam maximè oportebat, vtilis, magnam in Clero culpam huius mali versari omnes sapientes oporteat confiteri: In visitatione nuper habita, quanta omnis generis flagitia in moribus Cleri cōperta sunt: quanta socordia & supina negligentia, in quibusdam Proceribus seu Ecclesiarum prælatis, aurium pudore, ne manifestentur prohibemur, ipsa morum turpitudo efflagitat, ne maneant diutius immenda. Atque hæc si quis vellet sigillatim, prout per se res ipsa habet, atque exploratè constat, enarrare, castis piisq; Reuerendiss. patrum auribus omnino fieret molestum, alijs verò qui minus firmati sunt, ingens periculosumque offendiculum præberetur. Quamobrem Illustrissimus  
Prin-

Princeps meus hoc abundè satis existimat si vobis  
Reuerendissimis & Illustriss. Tridentini Concilij  
Legatis atq; Patribus saltem per occasiohem insi-  
nuaretur, vt duntaxat accuratissimè vobiscū per-  
pendatis, quām infructuosa doctrinæ emendatio  
futura sit, nisi prius doctores qui tāquam vasa do-  
ctrinæ iu dicantur, ab omni sorde morumq; fœto-  
re expurgati repræsententur populo. Oēs sapien-  
tes perit iq; viri vñanimi sententia hoc afferunt,  
hoc efflagitant penitus, vt prius Clerus Ecclesia-  
rumq; ministri ac doctores à vitæ fordibus repur-  
gentur, quām vlla queat fructuosa doctrinæ dis-  
cussio ac determinatio fœliciter inchoari ac defi-  
niri salutariter. Deinde nec paruū momētum vi-  
detur quòd hæc perniciosa contagio non modò  
non cessat tam longo tempore, sed subinde gran-  
descit, et iam multis varijsq; amplificata accessio-  
nibus. Quippe Clerus noster tantis Ecclesiæ cala-  
mitatibus null o modo neq; afficitur neq; affligi-  
tur, sed multò magis insolefecit, gulæ, libidinibusq;  
indulget, ac quasi velit in contemptum Dei ho-  
minumq; omni genere vitiorū se coopertum po-  
tius palam cognosci, quām minima aliqua in re  
emendatum animaduerti. Ut cætera Cleri vicia  
quæ cum populo communia habet, taceantur. At  
certè libido illa in Clero nimis libera atque noto-  
ria, propter quam is nunc potissimè infamis est, à  
plebe irritatoq; populo alienissima esse iudicatur.

Siqui-

Siquidem politici magistratus nullum in ciuili societate ciuem ferunt, qui palam scortetur, domiq; suæ quasi in publico lusanari scorta fouere studeat. In proxima visitatione per Bauarium facta, tam frequens concubinatus repertus fuit, vt vix inter centum tres vel quatuor inuentisint, qui aut manifesti concubinarij non fuerint, aut clandestina matrimonia non contraxerint, aut vxores palam non duxerint. Quæ morum turpitudo in Clero vehementer offendit imperiti populi animos tanto perè, vt sacerdotium vnâ cum sacerdotibus, doctrinam vnâ cum doctoribus execretur, dirisq; deuoueat. Ita vt sit confessim paratus ad quamvis sectam exire potius, quam redire velit ad Ecclesiam.

PRAETEREA nec pauci homines à nobis deficiunt ad sectarios ob vtriusq; speciei prohititionem, cùm arbitremur de communione vtriusque speciei expressum Dei verbum extare, de vna specie nullum reperiri. Huc accedit quod vtriusque speciei usus nō modò in primitua Ecclesia, sed etiam nunc in omnibus Orientalibus Ecclesijs frequens est, & quidem celeberrimus: quin nec Romana Ecclesia olim ab eodem usu abhorruit, quē admodum ex varijs diuersisq; historiarum monumentis edoceri potest. Nec sanè id parùm mouet homines præsertim in Bauaria,

QVOD PAVLVS  
B TER-

TERTIVS, AEDITA BVLLA SVA CONCESSIT  
GERMANIAE EPISCOPIS POTESTATEM COM-  
MVNICANDI POPVLVM SVB VTRAQVE SPE-  
CIE. Quod quidem summi Pontificis decretum  
vrgent summi & infimi, Illustrissimumq; meum  
Principem eam ob causam vehementer culpant,  
quasi (quòd abest planè) diuinā institutionē con-  
tra expressum Dei verbū inuideat subditis suis. Ea  
inuidia, quoniam Illustriss. sua celsitudo vehemē-  
ter grauatur, frequentiū subditorū querelis apud  
alios Germaniæ Principes odiumq; hoc sui æquè  
domi ac foris adeò subinde exasperatur, atque in-  
crebrescit, vt pleriq; quibus veloces pedes sunt ad  
effundendum sanguinem nihil expectent audiūs,  
quàm aliquam præberi mouendis tumultibus oc-  
casione. Hinc proculdubio Reuerendiss. Illustriss.  
S. Concilij Præsidentes atq; patres perspicuo vidēt  
quanto in periculo versetur Illustriss. & Clementi-  
ss. Princeps, propter cohibitionem vtriusq; spe-  
ciei: Itaq; liberè fatetur, nisi authoritate Tridenti-  
ni Concilij hisce malis quæ à nobis commemorata  
sunt, salutaris medicina primo quoq; tēpore ad-  
hibetur, Illustriss. suam celsitudinē nullo modo  
in tanta animorum exacerbatione subditos suos  
regere posse, atq; in legitima obedientia contine-  
re aliter, nisi vt magno suo dolore & haud incerta  
Synceræ Religionis iactura inuitus aspiciat tandem,  
quòd prohibere solus nequeat.

Quan-

**Q**UANQVAM verò, sicuti ante adictum est, Illu-  
striss. & Clementiss. Princeps meus hæc gra-  
uamina eo animo non proponat Sacro Concilio,  
quasi præiudicium aliquod adferre aut iudiciū au-  
ferre velit, cùm non ignoret quid postulet officiū  
secularis Christiani Principis, quem deceat, se obe-  
dientē Apost. Sedis filium & non iudicem contro-  
uersæ religionis in Cōcilio exhibere. Quapropter  
cū hæc talis suspicio, pcul à persona Illustrissimæ  
suæ celsitudinis submota sit, tū illud non dedecere  
se arbitratur. Si saltē quid sibi hisce malis remedij  
salutariter adhiberi posse videatur, familiariter &  
q. consultandi gratia S. Concilio insinuet.

**P**RIMVM igitur quantum attinet ad submouē-  
da publica scandala Cleri, quibus imperitus po-  
pulus permotus subinde, magis magisq; efficitur à  
Catholica religione nostra alienior, Illustriss. cel-  
litudo sua putat huic cōmuni morbo duobus re-  
medijs occurri posse. Quorum prius vt Clerus iu-  
xta antiquos Canones reformatur. Alterum vt  
Prælati dent operam erigendis domesticis scho-  
lis, & amplificandis publicis academijs. Reformare  
mores Cleri sæpius à diuersis Germaniæ Episco-  
pis tentatum est parum fœliciter, ac sine omni fru-  
ctu: quemadmodū re ipsa compertum est, cū tam  
ardua negocia non tam singulorum Præsulum  
authoritas quam consensio vniuersorū rectissimè

utilissimeq; expediat, dum alij ne suos capitulares  
cofratres offenderent, conniuerc visi sunt: alij, si  
quid tentarunt (vt fecerunt certè quidam optimi  
Antistites) nihil tamen efficere idcirkò potuerunt,  
quòd Episcopi cæteri idem non versati sunt, re-  
formandi institutum. Quocirca existimationem  
priuatam reformationis operam inutilem fore &  
infructuosam, nisi eò accesserit Generalis Concilij  
authoritas, ac legitima executio decretæ refor-  
mationis.

**N**ec verò ignorat Illusterrimus Princeps, qd  
à plærisq; ne seria aliqua morum repugnatio  
fuscipliatur obijci soleat. Cum verendum sit, si Cle-  
rus ex rigore antiquorum Canonum reformari  
debeat, fore omnino, vt plæriq; omnes præsertim  
Parochi Parochiarumq; ministri, (qui ferè omnes  
concubinarij sunt) suas Ecclesiæ deserant & con-  
fugiant ad sectarios, vbi concubinas liceat in uxo-  
res sumere, & vnumquenq; ex libertate carnis, ita,  
sicuti velit, viuere. Negari haud potest, quin hæc  
omnia in malis sacerdotibus expectanda sint, in  
bonis autem nullo modo. Verum vtcunq; hoc  
metuendum videatur, non defuit tamen olim nec  
nunc deest huic malo nodo congruens cuneus.  
Nam diligenter operam impendere Antistites  
debebant, educando Ecclesiasticæ iuuentutis semi-  
nario, & quo in locum eorum qui vel apostasia ab-  
repti,

repti, vel morte defuncti essent, restitui possent. At enim verò hæc necessaria diligētia cùm neglecta est, atq; hinc ista honesti Cleri inopia emersit: imprimis necessarium videtur, ut summo studio Sacrosancta Synodus Tridētina legitimū aliquem modum excogitet, quo inopia Cleri auferri possit, copia restitui. Multæ enim adhuc sunt in Catholicorum principum Territoriis opes: quarum aliæ in continua simonia versantur: aliæ tenentur ab hominibus indoctis, impuris, mutilibus: aliæ etiam per fraudem eorum qui bona vel maximè tueri debuerant, extinguuntur passim, ab Ecclesijs alienatæ & translatæ in usus prophanos. Nec dubium est quin si hæc Ecclesiastica bona in certum ordinem redigerentur, posse inde selectū aliquem & copiosum Ecclesiastici seminarij in iuuentute plātari cœtum, & ex eo cœtu subinde, ubi necessariæ utilesq; personæ requirerentur, tanquā ex instructa officina cateruatim deponni. At qui verò si hac via collabascenti Ecclesiæ occursum non fuerit, timendum prorsus, ne aliquando Catholicos, tam vi sectariorum expugnatos esse, quam domesticis copijs destitutos periisse, conqueri oporteat.

**Q**VAPROPTER Illustrissimus Princeps amicè submisseq; admonet Si Concilij Reuerendiss. ac Illustriss. dominos Legatos, cæterosq; Patres ut hanc rem sibi velint imprimis esse curæ, ne

posthac tanta educandæ iuuentutis negligentia  
Prælatis permittatur. Sperandum enim magnope-  
rè, mirabiliter suas Ecclesiæ vires pedetentim resti-  
tui posse, si sedulò operam nauaremus erudiendæ  
copiosæ iuuentuti, & ornandis fouendisq; pijs ac  
doctis hominibus, qui Ecclesiam doctrina aduer-  
sus hærefestueri queant, & submouendis inutili-  
bus flagitiosisq; sacerdotibus, qui suis moribus  
tur pissimis Ecclesiam vehementer deformant, &  
sua inscitia labefactant non mediocriter. Illustriss.  
verò Princeps meus quid grauissimis sumptibus  
& perpetuo studio hac in re conatus sit, referre ia-  
ctanter minimè cœpit: testes autem habet quam-  
plurimostam eos ipsos quos liberalissimè etiam-  
num fouet doctores, professores atq; Sacerdotes,  
quàm vicinos prouincialesq; Episcopos, & alios  
etiam Catholicæ religionis amantes.

**C**AETERVM existimant plæriq; viri rerum Ger-  
manicarum periti, tale nunc esse in Germania  
sæculum, quasi quandam occultam naturæ vim,  
quæ non modo omnes libidinosos, sed etiam mo-  
deratos vereq; Catholicos eò perduxit, vt plæriq;  
omnes castum matrimonium contaminato cœli-  
batui præferendum arbitrentur. Quam ob rem  
animaduertitur passim præclara ingenia doctissi-  
mosq; homines ducere vxores malle, vt careant  
Ecclesiasticis beneficijs, quàm Ecclesiastica bene-  
ficia

ficia acceptare & carere vxoribus. Videlicet cum  
videant reliquam Cleri multitudinem gulæ libi-  
dinumq; flagitijs coopertum, magno detimento  
esse ac dedecori Catholicæ religioni, ne ipsi in hoc  
contaminationis grege versari cogatur, eorumq;  
videri consimillimos. Hinc etenim doctorum ho-  
minum in Clero penuria extitit, hinc Cleri dete-  
stata infiditia traxit originem, hinc hæretici sum-  
pserunt vires, Ecclesia verò debilitata est. Periti  
igitur qui pressius hæc negotia accuratiusq; dis-  
cusserunt, existimant quod ad subleuandā penuri-  
am docti idoneiq; Cleri, vix alia ratione præfertim  
hac ætate nostra in Germania Clerus instaurari ac  
saltē ad obeunda necessaria Ecclesiæ munera sa-  
tis frequens haberi queat, nisi moræ primitiæ Ec-  
clesiæ docti mariti & ad docēdum instructi admit-  
tantur ad sacros ordines, præfertim verò ad præ-  
dicandum & amplificadum populo verbum Dei.  
Legis enim diuinæ cum non sit, ut oporteat ho-  
minem Sacerdotem esse cœlibem, siquidem con-  
stet ex veterum monumētis atq; historijs, maritos  
sacris ordinibus initiatos esse, & non modo ad sa-  
cerdotij dignitatem, sed etiam ad sublimitatem  
Episcopi peruenire: Quapropter hanc rem videri  
eiusmodi esse, cum qua vis diuinum non sit, ut S.  
D. N. Sacriq; Cōcilii authoritas possit ex instincta  
diuno id statuere pro necessitate laborantis Ec-  
clesiæ, quo status Cleri instaurari queat, ac vires se-  
ctario-

statiorū infirmari. Verūm hoc non aliter in Concilio proponi iussit Illustriss. Princeps meus, nisi vt Reuerendiss. patres Germaniæ morbos tantò diligentius inspicere queant, & quid remedij salubriter adhibendum iudicent, opportuno loco & tempore constituere.

**P**OSTREMÒ verò quia fuit hoc Consilium statim ab initio huius exortæ diffensionis piorū doctissimorumq; hominū, ne tantoperè ob vnius alteriūsve speciei vsum tanta certamina instituerentur, ipso rei euentu animaduersum est quòd pleræq; prouinciæ in Germania in obedientia sedis apostolicæ retineri potuissent, ab omni reliqua sectariorum labore immunes, si moderatio quædam in re, natura sua indifferente, admissa fuisset. At verò cùm populus vtriusq; speciei vsum, quasi ex diuina institutione sibi deberi arbitraretur, cumq; vicissim iusvsus à Prælatis constanter denegaretur, surreptitij sectarum duces eam occasionem naucti sub prætextu diuinæ institutionis & cōcepto odio irati populi, non solùm hoc sanctæ Eucharistię sacramentum penitus prophanarunt, sed etiam sub eodem prætextu diuersa hæresiū semina longè lateq; adeò efficaciter disperserunt, vt nunc occasione vtriusq; speciei non modo populi Germaniæ, sed & reliquæ nationes instar torrentis ab Ecclesia Catholica defluere videantur. Vt autem hæc

hæc ista tam frequens defectio, tamq; feruens de-  
cursus saltē inhiberi aliquo modo possit, pruden-  
tium virorum iudicium est, si S. D. N. ex plena po-  
testate sedis Apostolicæ & ex iudicio S. Tridentini  
Concilij Laicis vtriusq; speciei cōmunionem be-  
nignè largiretur, fore, vt qui haētenus sedi aposto-  
licæ obedientes remanserint, in posterum quoq;  
obedientes permāsuri, ac si qui leniter deflexerint  
ad obedientiam reuersuri existimarentur, QVEM AD-  
MODVM IN NONNVLLIS COGNITVM EST, QVI  
EX INDVLGENTIA PAVLI TERTII COMPOTES  
DEVOTIONIS SVAE FACTI ESSENT, REVERSI  
SVNT AD ECCLESIAM.

CVM igitur hæc tria, turpis vita Cleri, concubi-  
natus sacerdotum, & prohibitio vtriusq; spe-  
ciei, principales causæ sunt cur tanto odio Catho-  
licorū tantoq; studio nouitatis populi rationesq;  
ab obedientia Apostolicæ sedis resiliant, confe-  
rantq; se ad diuersos sectarū Duces, periti sanè Ca-  
tholiciviri arbitrantur, nullis alijs præsidijis hoc tē-  
pore populū studio nouitatis tumescensem, ne  
sensim in manifestam defectionem prorumpat, in  
obedientia Sedis apostolicæ retineri posse, quām si  
ad submouendos vitiosos sacerdotes idoneus Cle-  
rus ex instauratis scholis copiosè educaretur: ad  
tollendum turpem concubinatum castis maritis  
sacri ordines concionandiq; in primis facultas cō-  
fer-

ferrentur: ad placandos irritati populi animos  
utriusq; specieivsus permitteretur. Quia verò du-  
biūm non est, etiam si hæc tria ex quadam Catho-  
licæ matris Ecclesiæ indulgentia per authoritatem  
præsentis Concilij ritè ordinarentur, tamen secta-  
rios duces seductosq; populos idcirco ad Ecclesi-  
am non reuersuros esse, cùm palam æditis libris  
non dubitent obfirmare sese, quòd nunquam ve-  
lint Romanis Pontificibus vllam obedientiam  
præstare. Itaque non vult Illusterrimus Princeps  
meus hanc suam sententiam sic accipi, quasi illis  
tribus concessis putes hæreticos posse ad Ecclesi-  
am reduci, sed eam esse multorum piorum homi-  
num opinionem, quòd isto modo Catholici po-  
puli reliquiæ in Germania confirmari atque re-  
tineri aliquo modo possint, cùm hoc tempore nō  
tam necessarium videatur vt refutentur aduersa-  
rij, quàm vt queant fulciri domesticæ summæ no-  
stræ: quæ nūc non minus domi græves sunt, quàm  
foris aduersariorum machinationes. Atque hoc  
illi qui enodatiūs præsentis Ecclesiæ statum ad li-  
mam ducunt, eò interpretantur, vt opinentur in  
præsenti Concilio Tridentino nihil prius ducen-  
dum esse, quàm vt ante omnem cuiusuis dogma-  
tis explicationem, necessariò præcedere debeat  
eiusmodi morum in Catholico Clero rebusq; Ec-  
clesiasticis, (de quibus paulò antè facta mentio) re-  
formatio: Ut cùm personæ Clericales pristinæ in-  
nocen-

nocentis vitæ suæ testimonium vulgo receperint,  
tandem maiori apud populum authoritate ac fide  
id possint, quod in Catholica fide nostra verūm  
est, constanter docere, quod falsum, refellere. Nec  
est vllus persuadendi modus quo Clerus populo  
recōciliari potest, & audientium sibi parare aditū,  
nisi palam constet anterioris vitæ inquinamenta  
abiecta esse, atq; purioris vitæ documēta palam ex-  
hibeantur. Quo circa ofīce Tridentini huius Con-  
cilij studium prorsus inane futurum creditur, nisi  
omnis huius mali origo atq; scaturigo, quasi in ipso  
fonte, hoc est, in Clero eluatur atq; repurgetur,  
quo meliore auspicio repurgata fontis origo, in  
reliquos vniuersitatem Ecclesiæ riulos deduci posse,  
vulgò cognoscatur. Postea verò, quum talis facta  
reformatio: cùm etiam honestioris Clericatq; do-  
ctoris suppeditata est copia: cù turpem concubi-  
natum Sacerdotes deposuerunt, receperuntq; vi-  
cissim sui licitam medicinam à Concilio suppedita-  
tam, siue constantem spontanei voti obseruan-  
tiā: cùm etiā populus adhuc apostolicæ Sedis au-  
thoritate nō prorsus exautoratus, de cōmunione  
vtriusq; speciei mediocriter placatus existimatūr,  
tūc deniq; tempus erit, cù omnia nostra domi sint  
cōfirmatoria, vt de dogmatibus ineatur aliqua so-  
lidior disceptatio aduersus hæreses. Qualis autē &  
quæ hæc disceptatio cù fructu Catholice religiōis  
suscipi possit, Illustriss. princeps meus solus nō scit

fortasse optimè, sed intelliguntur piorū hominū & Catholicorum hac de re non inanes voces haud obscurè. De qua etiam si suæ quoq; Illustrissimæ celsitudinis opinio aliquando requiratur, posset ea qua aliquo modo explorata sunt, non impotunè referre. Verùm hoc tempore quando hoc tantum est propositum legationis Illustrissimæ celsitudinis suę nihil aliud velle in medium Cōcilij per me afferri, nisi vt cogitetur, non tam quomodo vel refutari sectarij queant, quod durum est, vel reduci quod multò magis dubium, sed potius quomodo hæ afflictæ Catholici populi reliquiae possint corroborari, stabiliri atq; reduci ad meliorem Ecclesiæ statum. Non enim videtur satis opportunum velle omni conatu aduersæ religionis copias inuadere, & non prius omne studium impendere, vt ante omnia nostræ vires rectè domi constitutæ sint, & ita quidem confirmatæ, vt tam singulæ quam vniuersæ, vniuersis ac singulis contrarijs possint opponi fœliciter.

**R**EVERENDISS. autem Illustrissimiq; Sacri Cōcilij Legati cæteriq; Patres, hanc Illustrissimi & Catholicissimi Principis mei qualemcunq; suggestionem, forsitan non satis elaboratam, amicam tamen bencvolentissimamq; suapte natura boni consulent. Constanter enim sperat, nihilq; penitus dubitat Illustriss. sua celsitudo eidem Sacro-

fan-

sanc*tæ* Tridentinæ Synodo hanc suam deuotissimam iuuandæ Ecclesiæ deliberationem si non inferuire commodissimè, vterius tamen de grauissimis istis Ecclesiæ afflictionibus cogitandi materiali & occasionem subministrare posse. Deum enim summum testatur nihil esse eorum omnium per me propositorum quæ ipse temerè absq; consilio sibi expertat, ac non potius extrema esse Reipub. Christianæ adhibenda remedia putet. Ad illum ipsum Illustrissimum & piissimum Principem meum quòd attinet, ita firmissimè animo propositū habet, cumq; Dei benignitate auitis in religione & doctrina Catholica vestigijs fortiter insistat, nihil existimat tam necessarium tamq; pium vitæ suæ munus, quām id pro virili efficere & obtinere, vt iij quos regendos tutandosq; Deus illi commisit, perpetuò secum habeant rectè, orthodoxè, & Catholicè credendi, pieq; secundum instituta Patrū viuendi commoditatem. Gratissimum verò quovis tempore Illustriss. suæ celsitudini futurum est, si quæ hucusq; in religionem Catholicam præstit, libentissimo sanè animo officia au&tiora posthac & cumulatiora ingenti subditorum ac patriæ fructu, reddere vlla ratione poterit.

dixi.

C 3 R E

# RESPONSVM SANCTAE

SYNODI IN ADMISSIONE ORATORIS

Illusterrimi D. Alberti Ducis Ba-

uariæ in Generali Congrega-

tione die xxvii. Iunij,

M. D. LXII.

**E**XCELLENS Doctor, & Magnifice D.  
Orator, In magna exspectatione Sancta  
Synodus vsque ad hanc diem fuit, vt ali-  
quis ex nobilissimis Germaniæ Principibus ad hoc  
Sacrum Cœcilium accederet, & sua præsentia eam  
pietatem in Catholicam Ecclesiam declararet,  
quæ in primis à Principibus viris exspectari debet:  
vel si ipsi grauioribus negocijs impediti adesse non  
possent, Oratores suos mitterét, qui optimam il-  
lorum voluntatem profiterentur. Inter cæteros  
autem, à quo omnia pietatis officia Sancta Syno-  
dus exspectanda esse semper existimauit, Exellen-  
tissimus & Illusterrimus D. Albertus Bauariæ  
Dux extitit: qui veram, & Catholicam Religio-  
nem à Clarissimis, & Nobilissimis maioribus suis  
traditam, tanta fide & constantia conseruauit, vt  
hisce miseris temporibus in tota Germania firmis-  
simum Sanctæ Apostolicæ Ecclesiæ propugnacu-  
lum iure optimo habendus sit. Cum igitur graues  
rationes prohibuerint, quo minus ipse huc acce-  
deret, suumq; egregium animum Sanctæ Syno-  
do

do coram declararet: quod quidem eum præstitum  
esse, si per alias occupationes sibi licuisset, du-  
bitare non potest, summa lætitia affecta est, cùm  
virum optimis artibus præditum suæ voluntatis  
testem, ac veluti obsidem huc ablegauit. Sperat  
enim fore, vt eius auctoritas nunquam defuisse vi-  
deatur ad ea peragenda, quæ Sanctam Dei Ecclesi-  
am quacunque ratione iuuare poterunt. Quod  
igitur reliquum est, te Magnifice Orator, Sancta  
Synodus benignè accipit, mandatumque tuum,  
prout iuris est, libenter admittit: daturaq; est ope-  
ram (quod quidem hactenus diligenter, & sedulò  
curauit) vt ea omnia piè & religiose constituam-  
tur, quibus Dei cultus magis amplificari, & fi-  
delium saluti, ac trāquillitati com-  
modius consuli posse, af-  
flante Spiritu san-  
cto, qui  
optimorum consiliorum au-  
tor est, iudicarit.

## PETI.

# PETITIONES ORATORIS

CAESAR. MAIESTATIS AD CON-  
cilium Tridentinum.

In primo, ut prius tractetur de morum reformatione,  
deinde de dogmatibus.

## DE REFORMATIONE.

### I.



Randum in primis summum Pontificem  
vt seipsum & Roma. Cur. reformari be-  
nigne patiatur.

### II.

Vt numerus Card. reducatur, si non ad duodenarium saltem ad duplicatum, cum duobus su-  
pernumerarijs, nempe 26.

### III.

Proudendum, ne fiant amplius dispensatio-  
nes scandalosæ.

### III.

Reuocandas omnes exemptiones contra iu-  
ra communia, passim concessas, monasteria nanq;  
omnia, sub eius Episcopi potestate constituenda  
sub cuius sunt diœcesi.

### V.

Tol-

Tollendam prorsus beneficiorum pluritatē,  
& statuendum quod singula Collegia, singulare  
gant Scholas, & quod Ecclesiastica beneficia non  
dentur conductitijs presbyteris.

## VI.

Episcopos omnino ad residentiam cogendos,  
nisi in extrema Ecclesiæ necessitate, ut officia sua  
per seipso non per alios vicarios obeant, & totius  
diœcesis curam mandandam non vni, sed plurimis  
personis, ut Theologis, theologica, Canonistis, ca-  
nonica negotia. Insuper visitationes diœcesium  
sanctasq; Synodos quotannis habendas &c.

## VII.

In Ecclesia omnia ministeria gratis prestanta:  
& quæ sunt adeò tenuis redditus, ut ministeria Ec-  
clesiastica absq; quotidianis emolumentis neque-  
ant sustinere, incorporanda cum alijs non curatis  
beneficijs pinguioribus.

## VIII.

Reuocando veteres Canones contra Symo-  
niacam prauitatem.

## IX.

Fortassis expediret humanarum sanctionum  
multitudinem non nihil cōtrahere, superfluis re-  
iectis,

reiectis, & prælatos suas constitutiones non æquare obligationi &c.

X.

Excommunicatione non est vtendum extra causam peccati mortalis, & notoriæ irregularitatis.

XI.

Prouidendum, vt diligenter & deuotè in diuinis officijs preces fundantur, quæ aliquando ita præcipitanter à celebrantibus proferuntur, vt nccipisci se intelligent, nec ab alijs intelligentur.

XII.

Breuiaria & Missalia purganda, refecandaque omnia, quæ non ex diuinis desumpta sunt literis, & tædiosam prolixitatem Psalmorum & orationum, habito delectu, contrahendam.

XIII.

Fortassis permittendum, vt alicubi liceat latini canticis preces vernacula lingua fideliter versas, immiscere &c.

XIII.

Cogitandū quaque ratione Clerus ad vitam proximam reducatur.

XV.

Quo

Quo pacto monasticus ordo ad primituam institutionem reintegretur, ne tantæ monasteriorum diuitiæ tam flagitiosè dissipentur. Et hæc de morum abusuumq; reformatione.

### XVI.

Quod autem ad Dogmata attinet, Considerandum sacro Concilio, an non res ipsa efflagitet, aliqua iuris positui relaxare, & circa communicationem sub vtraq; specie consuli desiderio exterarum nationum.

### XVII.

De esu carnis & de ieunijs aliquid de pristino vigore remittendum, super quo tamen prudenter considerandum.

### XVIII.

Coniugium item Clericorum aliquibus nationibus concedendum.

### XIX.

Et ita conciliatis populorum animis tollendas deinde multiplices Euangeliorum postillas, & nouum per peritos theologos delectum faciendum, & similiter nouam faciendam Agendam: quam si qui parrochorum noluerint recipere, tūc pœnas graues eis iniungendas.

### XX.

Verum quia hoc modo passim mali parrochi  
citius poterint expelli, quam substitui meliores,  
ideo quædam ad hanc difficultatem amouendam,  
necessariò recensentur.

### XXI.

Vnum Catholicum præficiendum interim  
pluribus Ecclesijs.

### XXII.

Videndum diligenter, an aliqui ex ijs sectarijs  
possint ad fidem Catholicam reduci, & ideo eos  
qui senioris mentis videantur in proximam Ca-  
tholicam Academiam mittendos, & rectè erudi-  
endos.

### XXIII.

Iniungendum Episcopis Academiam non ha-  
bentibus, ut in vicem Academiæ Collegium eri-  
gant, pro Adolescētibus theologiæ studiosis alen-  
dis & instituendis &c.

### XXIII.

Limitatum auctorum Catalogum eden-  
dum, qui legi debeant in Scholis, nec alios admit-  
tendos.

### XXV.

Plures Episcopatus in latioribus prouincijs  
erigendos, & opulenta Cœnobia, posse in hunc  
vsum conuerti.

Quod

Quòd autem spectat ad bona Ecclesiastica in  
vñus prophanos conuersa & distracta, vt eæ dissi-  
mularentur iniuriæ.

Vltimò Reuerendiss. patres Cōcilio præsiden-  
tes dare operā debere, ne quæstiōes, quæ offendicu-  
la parere possint & contentiones, vt sunt hæc: An  
residentia sit de iure diuino nec ne, aut similes  
proponantur: aut quando id vitari  
non possit, non patientur  
falte mē effundi in bi-  
lem, nec efferri  
in fabu-  
lam aduersariorum &c.